

coalescere: removeant patrocinia, quæ favorem reis, et auxilium sceleris impartiendo, maturari scelera fecerunt. — Dat. 5 id. april. Arcadio *et* Rufino Coss. 392.

ppp. Arcad., Honor. et Theod. AAA. Cæcilio P. P.

Defensores civitatum oblatos sibi reos in ipso latrocinio, vel congressu violentiæ, aut perpetrato homicidio, aut stupro, vel raptu, vel adulterio deprehensos et actis publicis sibi traditos, expresso crimine cum his, a quibus fuerint accusati, mox sub idonea persecutione ad iudicium dirigant. — Dat. prid. kal. Januar. Mediolani, Stilicone *et* Anthemio Coss. 405.

8. Imp. Honor. et Theod. AA. Cæcilio P. P.

Defensores ita præcipimus ordinari, ut sacris orthodoxæ religionis inbuti mysteriis, reverentissimorum episcoporum, necnon clericorum, et honoratorum, ac possessorum, et curialium decreto constituantur: de quorum ordinatione referendum est ad illustrissimam prætoriam potestatem: ut literis ejusdem magnificæ sedis eorum solidetur auctoritas. — § 1. Quod si quid a qualibet persona contra publicam disciplinam in læsionem possessorum fieri cognoverint defensores, referendi habeant potestatem ad illustres, et magnificos viros præfectos prætoris, et illustres viros magistros equitum et peditum, magistros etiam officiorum, et comites, tam sacrarum largitionum, quam rerum privatarum. — Dat. 15 kal. februar. Ravennæ, Honorio *et* Theod. 3 AA. Coss. 409.

9. *Idem*, AA. Cæcilio P. P.

Jubemus cura ac solertia defensorum minime possessores majoribus mensuris et ponderibus a susceptoribus prægravari: sed eos deprehensos ad iudicium dirigi cum ipso commissæ fraudis indicio. — § 1. Illud etiam fieri permittimus: ut, si provincialibus nostris contestari injurias, seu læsiones suas cupientibus, actorum confectio a defensoribus denegetur, licentia eis tribuatur querelæ propriæ libellum conscriptum, eo tempore, quo fuerat contestandum in frequentioribus civitatum locis proponendi, conveniendique scribas, tabularios, et cætera officia publica commonendi, per quæ libellum colligi oportebit, atque invitis supra memoratis personis, sub actorum confectioe ingerendi, quorum questione fides possit inquiri: qua probata, in eos quos gestorum petitam confectioem negasse constitit, vigor judicarius exeratur. — Dat. 11 kalend. febr. Ravennæ, Honorio *et* Theodosio 3 AA. Coss. 409.

10. Imp. Theod. et Valentin. AA. Cyro P. P.

Nulli defensorum licere decernimus, si de publica sollicitudine se voluerit liberare, nisi divinos affatus intimerit tuæ sublimitatis iudicio: triginta librarum auri poenam, tam moderatoribus provincialiarum, quam cæteris iudicibus, vel temeratoribus sacri nostri oraculi, subituris, si neglecta fuerit auctoritas principalis. — Dat. 15 kal. sept. Constant. Cyro V. C. Coss. 441.

TIT. LVI.

[DE MAGISTRATIBUS MUNICIPALIBUS.]

1. CONSTANTINUS A. ad Florentium P. P.

Decuriones ad magistratum, vel exactionem annonarum ante tres menses, vel amplius nominari debent, ut, si querimonia eorum justa videatur, sine impedimento in absolvendis locis alius subrogetur. — Dat. id. april. Constant. Severo *et* Rufino Coss. 325.

2. Imp. Valentinianus et Valens AA. ad Germanianum.

Magistratus conficiendorum actorum habeant potestatem. — Dat. 13 kal. Jan. Gratiano N. P. et Dagalaipho Coss. 366.

TIT. LVII.

DE OFFICIO JURIDICI ALEXANDRIÆ.

1. Imp. Leo et Anthemius AA. Alexandro duci et præfect. Augustali.

Jubemus apud Alexandrinæ duntaxat clarissimæ civitatis iudicium, licitum et concessum esse, singulis quibuscumque volentibus donationis conscriptæ solemniter instrumenta reserare, eisdemque robur adjiciat ges-

7. L. 19, supr. de episcop. aud. l. 19, supr. de iudic. adde N. 8, tit. jurjur. vers. et communitator. — S. L. 9, infr. de suscept. — 9. N. 53, c. 3. — 10. Adde L. 10, D. de off. præf. — Tit. LVI. — 1. Infr. tit. de decurion. — 2. Confer. L. un. infr. tit. prox.; L. 2, infr. de edendo.

Tit. LVII. — 1. Lib. 1, D. 20. — 2. L. 50, infr. de donat.

torum series apud eundem confecta, tanquam si apud virum clarissimum moderatorem provincie, vel magistratus, vel defensores plebis habitæ fuisse dicerentur.

LIBER SECUNDUS.

TIT. I.

DE EDENDO.

1. Imp. Antoninus Pius A. Emilio.

Ipse dispice, quemadmodum pecuniam, quam te deposuisse dicis, debere tibi probes. Nam quod desideras, ut rationes suas adversaria tua exhibeat: id ex causa ad iudicium officium pertinere solet. — P. P. 4 kalend. octob. Sabini *et* Severo Coss. 156.

2. Imp. Severus et Antoninus AA. Fausto.

Is, apud quem res agitur, acta publica, tam civilia quam criminalia exhiberi inspicienda ad investigandam veritatis fidem iubebit. — P. P. non. Julii, Severo A. et Albino Coss. 195.

3. *Idem*, AA. Valenti.

Edita actio speciem futuræ litis demonstrat: quam emendari, vel mutari licet, prout edicti perpetui monet auctoritas, vel jus reddendis decernit æquitas. — Dat. 2 kalend. septemb. Severo *et* Antonino AA. Coss. 203.

4. Imp. Antoninus A. Epaphrodito.

Qui accusare volunt, probationes habere debent: cum neque juris, neque æquitatis ratio permittat, ut alienorum instrumentorum inspiciendorum potestas fieri debeat. Actore enim non probante: qui convenitur, etsi nihil ipse præstat, obtinebit. — P. P. 3 id. Mart. Duoibus *et* Aspris Coss. 213.

5. Imp. Alexand. A. Valentinianæ.

Non est novum, eum a quo petitur pecunia, implorare rationes creditoris, ut fides veri constare possit. — P. P. 7 id. Mart. Maximo *et* Eliano Coss. 224.

6. *Idem*, A. Uranio.

Justum est desiderium ejus, a quo pecunia petitur, licet nomine publico, ut rationibus publicis exhibitis constet, quantum [sub] nomine suo solum sit. — P. P. 16 kal. dec. Maximo *et* Eliano Coss. 224.

7. *Idem*, A. Valenti.

Procurator privatorum rationum instrumentorum, quæ communia tibi esse cum fisco dicis, describendorum facultatem secundum morem fieri iubebit: et si quando res exegerit, ad fidem petitionis tuæ apud alium iudicem probandam aliquid eorum profertur, desiderante eo qui convenitur, [ut id fiat, præcipiet]. — P. P. 10 kal. Mart. Fusco *et* Dextro Coss. 226.

In Authent. ut sponsalitiæ largitates, § et hoc insuper, coll. 9, tit. 2, seu Novell. 119, cap. 5.

Si quis in aliquo documento mentionem faciat alterius documenti, nulla ex hac memoria fiat exactio: nisi aliud documentum, cujus memoria in secundo facta est, proferatur, aut alia secundum leges quantitatis debita probatio exhibeatur: quia et quantitas, cujus memoria facta est, pro veritate debeatur: hoc enim et in veteribus legibus invenitur.

8. *Idem*, Aug. Floro.

Et quæ a D. Antonino patre meo, et quæ a me rescripta sunt, cum juris et æquitatis rationibus congruunt: nec enim diversa sunt, vel discrepantia: quod multum intersit, an ex parte ejus qui aliquid petit, quique doli exceptione submovi ab intentione petitionis suæ potest, rationes promi reus desideret, quibus se posse instruere contendit, quod utique ipsa rei æquitas suadet: an vero ab eo, a quo aliquid petitur actor desideret rationes exhiberi: quando hoc casu non oportet originem

Tit. I. — 4. Lib. 1, D. 15. — 2. L. 1, pr. D. h. t. — 3. § 24, § 25, Inst. de act. — 4. L. ult. infr. h. t.: L. ult. infr. de rei vind.; L. 2, L. 8, infr. de probat.; L. 9, infr. de except. adde tamen L. 1, supr. h. t. — 5. L. 6, infr. eod. — 6. Adde L. 7, L. 8, infr. eod.; L. 4, infr. de fide instrum.; L. 2, D. eod.; N. 128, c. 4. — 7. Vide enim L. ult. D. de fide instr. — 8. L. 4, supr. h. t. — 9. L. 3, L. 6, supr. eod. — 10. Arg. L. 4, in fin. supr. eod.

petitionis ex instrumentis ejus, qui convenitur, fundari. — P. P. kalend. octob. Fusco *et* Dextro Coss. 226.

TIT. II.

DE IN JUS VOCANDO.

1. Imp. Alexander A. Throphinio.

Sicut bonis moribus convenit, reverentiam manumissoris uxori præberi: ita re exigente, in jus cum siæ permisso prætoris vocari, prohibitu est. — P. P. 4 kalend. aprilis, Agricola *et* Clementino Coss. 251.

2. Imp. Gordianus A. Nocturno.

Venia edicti non petita patronum, seu patronam, eorumque parentes, et liberos, heredes insuper, etsi extranei sint, a libertis, seu liberis eorum non debere in jus vocari, jus certissimum est: nec in ea re rusticitati venia præbeatur, cum naturali ratione honor hujusmodi personis debeatur. Cum igitur confitearis patroni tui filium sine permisso prædis te in jus vocasse; poenam edicto perpetuo præstitutam, rescripto tibi concedi temere desideras. — P. P. 8 id. novemb. Gordiano A. et Aviola Coss. 240.

3. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. Rosanæ.

Qui in potestate patrum agunt, adversus eos experiri non possunt. Si igitur emancipata es, venia edicti petita, hoc facere non prohiberis. Quod et in matris persona observandum est. — P. P. 8 id. nov. Diocletiano *et* Maximiano AA. Coss. 287.

4.

Qui semel in jus vocavit aliquem in regia urbe, vel in provinciis post libellum ei oblatum, amplius eundem reum ex scripto, vel sine scripto ne peragat: hoc est, ne iudicem sine scripto adversus eundem adeat, sed apud primum iudicem permaneat. — § 1. Qui libellum accepit, etiamsi in aliud officium translatus sit, miles forte, vel clericus factus, respondeat omnino in primo foro, quod secundum primam ejus conditionem censetur competens, nullam habens fori præscriptionem. — § 2. Qui semel in jus vocavit, si post admonitionem reo oblatam eum ad alium iudicem ob easdem causas vocaverit, et eum indemnem præstet, et causa cadat, etsi justam habuit actionem.

TIT. III.

DE PACTIS.

1. Imp. Severus et Antoninus AA. Philino.

Conditionis incertum inter fratres non iniquis rationibus conventionione finitum est. Cum igitur verbis fideicommissi petitum a patre tuo profitearis, ut, si vita sine liberis decederet, hereditatem Licinio Frontoni restitueret: pactum eo tempore de sextante [Licinio] Frontoni dando: cum liberos Philinus non sustulerit, interpositum non ideo potest iniquum videri: quod facta [sicut placuit] divisione diem suum, te filio ejus superstitie, functus esset. — P. P. 7 kal. dec. Severo A. *et* Victorino Coss. 201.

2. Imp. Severus et Antoninus AA. Claudio.

Post venditionem hereditatis a te factam, si creditores contra emptores actiones suas movisse probare poteris, eosque eas spontanea voluntate suscepisse: exceptione taciti pacti non inutiliter defenderis. — P. P. prid. id. februar. Severo *et* Antonino AA. Coss. 203.

3. *Idem*, AA. Restituto.

Servus creditoris meliorem causam domini facere potest: in deterius autem reformare novo pacto non potest obligationem recte constitutam. — P. P. 8 kalend. april. Severo *et* Antonino AA. Coss. 203.

4. *Idem*, AA. Valerianæ.

Postquam liti de prædio motæ renunciasti, causam finitam instaurari [posse] nulla ratio permittit. — P. P. 4 id. feb. Albino *et* Emilianio Coss. 207.

Tit. II. — 1. Lib. 2, D. 4; adde § 3, Inst. de pena tem. litig. N. 55. — 2. Adde § 2, Inst. de injur.; L. 15, D. h. t. — 3. d. L. 15; L. 4, § 1; L. ult. D. eod. — 4. L. ult. infr. de libert. — 5. L. 24, D. h. t. — 6. L. 4, D. eod.; § 3, Inst. de pena tem. litig. — 7. L. 1, supr. h. t. — 8. N. 53, c. 5. — 9. d. N. 55, c. 1.

Tit. III. — 1. Lib. 2, D. 14; § 5, Inst. de except. — 2. Adde L. 16, infr. h. t. vide tamen L. ult. infr. eod. — 3. Immo vide L. 46, § 1, D. de legat. 2. — 4. L. 155, D. de R. l. — 5. L. 18, infr. de donat. — 6. L. 7, § 7, D. h. t. — 7. d. L. 7; § 7, D. de depos.; L. 14, § 1, D. sol. matr.;

5. Imp. Antoninus A. Demagoræ.

Creditori tuo si partem pecuniæ exsolvisi, de parte vero non petenda inter te et eum convenit ob causas negotiaque ejus tuo iure: sed non fideique defensa: ea obligatione partim civili jure, partim honorario liberatus es. Nam exceptio perpetua pacti conventi, vel doli, residui petitionem repellit: cum et solum per ignorantiam repeti posset. — P. P. 8 kal. Aug. Romæ, Ant. A. *et* Balbino Coss. 214.

6. *Idem*, A. Basilie.

Pacta que contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est. — P. P. kal. Aug. iisdem Coss. 214.

7. *Idem*, A. Julio Maximo.

Debitori tuo si heres extitisti, actio, quam contra eum habuisti, adita hereditate confusa est. Sed si eam hereditatem, posteaquam in iudicio obtinisti, ei tradidisti, quem sententia superaveras: ea conditione pacto, ut tam cæteris creditoribus, quam tibi in eo, quod tibi debeatur, si eam hereditatem non adisses, satisfaceret, pacti conventionisque fides servanda est, quæ si non servatur, ex stipulatu, si modo pacto subjecta est, dabitur actio: [vel præscriptis verbis, si stipulatio non intervenit.] — P. P. 3 kal. August. Antonino A. *et* Balbino Coss. 214.

8. *Idem*, A. Mucatraulio.

Si pascentia pecora partiarum [id est, ut fetus eorum portionibus, quibus placuit, inter dominum et pastorem dividantur] Apollinarem suscepisse probabitur: fidem pacto præstare per iudicem compelletur. — P. P. 4 kal. octob. Alexandro A. *et* Marcello Coss. 227.

9. Imp. Alexand. A. Dionysio.

Cum, posteaquam adversarius matris tuæ victus esset, matrem tuam circumvenit, ut ei caveret nullam se controversiam de servis moturam, id pactum mala fide factum, irritum est: et cum ex ea conventionione cum matre tua agi cæperit, iudex eam liberabit. — P. P. prid. id. sept. Alexand. *et* Marcello Coss. 227.

10. *Idem*, A. Nicæ.

Legem, quam dixisti, cum dotem pro alumna dares, servari oportet. Nec obesse tibi poterit, quod dici solet, ex pacto actionem non nasci: tunc enim hoc jure utimur, cum pactum nudum est: alioquin cum pecunia datur, et aliquid de reddenda ea convenit: utilis est conditio. — P. P. 5 kalend. Mart. Albino *et* Maximo Coss. 228.

11. *Idem*, A. Capitoni.

Ex conventionione quidem, qua pactam novercam tuam cum patre tuo dicit, cum fundum in dotem daret, ut creditoribus, quibus fuerant prædia obligata, usuras solveret: actio tibi adversus eam competere non potest, etsi pactum in stipulationem deductum probetur. Sed si fundus æstimatus [ita ut pars instrumenti significat] in dotem datus est: ex vendito actio, ut placitis stet, competit. — P. P. non. dec. ipso A. *et* Dione *et* Coss. 230.

12. *Idem*, A. Flacillæ.

Pacta novissima servari oportere, tam juris quam ipsius rei æquitas postulat. Quapropter si conventionione, quæ præcessit, diversa pars usurarum non esse consensit, et maxime si [ut proponis] id etiam apud actæ prædis adseveraverit: actionem, quæ super prima conventionione fuerat, exercere non prohiberis. — P. P. 3 kal. Martii, Agricola *et* Clement. Coss. 231.

13. Imp. Maximinus A. Mario.

In bonæ fidei contractibus ita demum ex pacto actio competit, si incontinenti fiat: nam quod postea placuit, id non petitionem, sed exceptionem parit. — P. P. 5 id. Januar. Maximino A. *et* Africano Coss. 237.

14. Imp. Gordianus A. Calio militi.

Si pacto, quo poenam adversarium tuum promississe proponis, si pacto non stitisset, stipulatio subjecta est; ex stipulatu ages, vel id, quod in conventionem devenerat, ut fiat, consequeris: vel poenam stipulationis comprehensam more judiciorum exiges: nam bona adversarii tui in te

L. 26, L. 61, D. de V. O.; L. 50, infr. h. t.; L. 4, infr. de inut. stip. — 8. L. 5, infr. de hered. act. — 9. D. de fidejuss.; L. 95, § 2, D. de solut.; — 9. L. 14, infr. h. t. — 10. L. 15, § 1, D. de preser. verb. — 11. L. 25, § 6, D. locati. — 12. L. 1, infr. de pact. convent.; L. 5, infr. de con. — 13. D. h. t.; L. 27, in fin. infr. de locato; L. 1, infr. de pact. convent.; L. 5, infr. de con. trah. stip. — 14. L. 1, infr. sine censu vel reliq. — 15. Immo vide d. L. 1, in fin. — 16. L. 27, § 2, D. h. t. — 17. L. 7, § 5, D. eod.; L. penult. infr. de pact. inter empt. — 18. L. 27, L. 28, infr. h. t.

transferrī citra solemnem ordinem frustra deprecariis — P. P. kal. april. GORDIANO A. 2 et POMPEIANO CONSS. 242.

15. Imp. VALENT. et GALLIEN. AA. et VALERIANUS nobiliss. Cass. Pactumeio.

Pactum 49 quod dotali instrumento comprehensum est, ut, si pater vita fungeretur, ex æqua portione ea, quæ nubebat cum fratre heres patris sui esset: neque ullam 20 obligationem contrahere, neque libertatem testamenti faciendi mulieris patri potuit auferre. — P. P. 10 kalend. Mart., ÆMILIANO et BASSO CONSS. 267.

16. Imp. DIOCLET. et MAXIMIAN. AA. Diaphanto.

Cum proponas 21, filios testamento scriptos heredes rogatos esse, ut, qui primus rebus humanis eximeretur, alteri portionem hereditatis restitueret: quoniam precariam substitutionem fratrum consensu remissam adseris, fideicommissi persecutio cessat. — P. P. 4 id. febr. MAXIMO 2 et AQUILIANO CONSS. 286.

17. Idem, AA. Deximacho.

Pactum, quod bona fide interpositum docebitur, etsi scriptura 22 non existente: tamen, si aliis probationibus rei gestæ veritas comprobari potest, præses provinciæ secundum jus custodiri efficiet. — P. P. 9 kal. Jul. iisdem CONSS. quibus supra 286.

18. Idem, AA. Julio et Æmilio.

Si creditores vestros ex parte debiti admisisse quemquam vestrum pro sua persona solventem probaveritis: aditus rector provinciæ, pro sua gravitate, ne alter pro altero exigatur, providebit. — P. P. 7 id. Jan. DIOCLETIANO 3 et MAXIMIANO AA. CONSS. 287.

19. Idem, AA. Victoriano militi.

Licet inter privatos hujusmodi scriptum, quo comprehenditur, ut is qui supervixerit, alterius 23 rebus potiat, ne donationis quidem mortis causa gestæ efficaciter speciem ostendat: tamen cum voluntas militum, quæ super ultimo vite spiritu, deque familiaris rei decreto quoquo modo contemplatione mortis in scripturam deducitur, vim postremi iudicii obtineat: proponasque te ac fratrem tuum ad discrimen prælii pergentes, ad communem mortis fortunam invicem esse pactos, ut ad eum, qui superstes fuisset, res ejus, cui casus finem vite attulisset, pertinerent: existente conditione intelligitur ex fratris tui iudicio, (quod principalium constitutionum prompto favore firmatur) etiam rerum equis comprehendit ad te delatum esse. — P. P. 15 kal. decemb. SIRMII, IPSIS 13 et 5 AA. CONSS.

20. Idem, AA. et CC. Martiali.

Traditionibus 24 et usucapionibus 25 dominia 26 rerum, non nudis pactis 27 transferuntur. — P. P. kal. Jan. IPSIS 5 et 4 AA. CC. CONSS. 293.

21. Idem, AA. et CC. Eusebio.

Cum proponas, inter vos sine scriptura 28 placuisse fratrum tuorum successiones æquis ex partibus dividi, et transactionis causa probari possit hanc interessisse conventionem: exceptione te tueri potes, si possides 29: quod si adversarius tuus teneat: ex hoc placito nullam actionem natam esse, si tibi stipulatione non prospexisti, debes intelligere: nec adversario 30 tuo transactione uti concedendum est, nisi ea quæ placita sunt, adimplere paratus sit. — P. P. kalend. Maji, FAUSTO 2 et GALLO CONSS. 298.

22. Idem, AA. et CC. Archelao.

Pactum curatoris recipere minorem quantitatem paciscentis, adultæ ætatis suffragium, ne noceat 31, efficiet: tutores 32 enim et curatores exigentes pupillis et adultis debitum, non etiam 33 remittentes præstant obligationis liberationem. — P. P. 18 kalend. decemb. SIRMII, IPSIS 7 et 6 AA. CONSS. 299.

23. Idem, AA. et CC. Honorato.

Filius paciscentis 34, aut debitum accipiendo: nihil detrahit patris obligationi. — P. P. 17 kal. dec. SIRMII, IPSIS 7 et 6 AA. CONSS. 299.

24. Idem, AA. et CC. Domina.

Si actionem legati, vel fideicommissi, quam adversus heredes mariti quondam tui habuisti, te adfectione heredum aliis remisisse probetur,

19. Adde L. 5. infr. de collat. l. ult. D. de suis et leg. — 20. L. 61. D. de V. O. l. 5. infr. de pact. convent. l. 4. infr. de inutil. stip. confer. L. ult. vers. quare, infr. h. t. — 21. L. 1. supr. eod. — 22. L. 21. infr. h. t. l. 5. infr. de transact. l. 9. l. 10. infr. de fide instrum. l. 9. infr. de locato cond. l. 9. infr. de nupt. l. 1. D. de pignori: l. 4. D. de fide instrum.: N. 73. c. 5. excipe tamen L. 17. infr. de fide instrum. l. 1. D. de pignori: l. 4. D. de fide instrum.: N. 74. c. 4. l. 2. c. 4. l. 4. l. 2. c. 1. infr. de rec. arbitr. — 23. L. 70. D. de hered. inst. adde L. 9. infr. de donat. inter vir. et ux. adde L. 51. pr. D. de acquir. rer. dom.: L. 15. infr. de rei vindic. — 25. L. 3. D. de usurp. et usucap. — 26. Fide enim L. 1. D. de pignori. act. — 27. L. 10. supr. h. t. — 28. L. 17. supr. eod. l. 9. infr. de fide instrum. — 29. L. 15. infr. famul.

exceptionem pacti contra debitores instituenti, actiones nocere tibi minime posse intelligis. — P. P. 18 kal. Jan. SIRMII, CC. 3 CONSS. 300.

25. Idem, AA. et CC. Euhemero.

Debitorum pactionibus, creditorum petitio nec tolli 35, nec mutari potest. — S. 4 kal. Maii, SIRMII, CC. 3 CONSS. 300.

26. Idem, AA. et CC. Cornelia.

Pacto successorum debitoris ex lege duodecim tabularum æs alienum hereditarium pro portionibus 36 quesitis singulis ipso jure divisum, in solidum unum obligare creditori non potest: quod et in honorario succedentibus jure locum habet. De chirographis itaque communibus exhibendis coheredem, vel non perfectis in divisione placitis convenire, quanti tua interest, potes. — P. P. 5 id. oct. VARIANI, CC. CONSS.

27. Idem, AA. et CC. Aurelio Chresimo.

Petens ex stipulatione, quæ placiti servandi causa secuta est: seu antecessit pactum, seu post statim 37 interpositum sit, recte secundum se ferri sententiam postulat. — S. 6 id. nov. HERACLEÆ, CC. CONSS.

28. Idem, AA. et CC. Leontio.

Si certis annis 38, quod nudo pacto convenerat, datum fuerit: ad præstandum in posterum indebitum solum obligare non potuit eum qui pactum fecit, nisi placitis stipulatio intercesserit. — S. 3 non. decemb. BURTODIXI, IPSIS 8 et 7 AA. CONSS. 303.

29. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

Si quis in conscribendo instrumento sese confessus fuerit, non usum fori præscriptione propter cingulum militiæ 39 suæ, vel dignitatis 40, vel etiam sacerdotii 41 prærogativam, licet antea dubitabatur 42, si oporteret eandem scripturam tenere: et eum, qui hoc pactus est, non debere adversus suam conventionem venire: vel licentiam ei præstare, discedere quidem ab scriptura, suo autem jure uti: sancimus, nemini licere adversus pacta sua venire, et contrahentes decipere: si enim et ipso prætoris edicto 43, pacta convента, quæ neque contra leges 44, neque dolo malo iniita sunt, omnimodo observanda sunt: quare et in hac causa pacta non valeant: cum alia sit regula juris antiqui, omnes licentiam habere, his, quæ pro se introducunt, renunciare 45? Omnes itaque iudices nostri hoc in litibus observent: et hujusmodi observatio, et ad pedaneos iudices, et ad compromissarios, et arbitros electos perveniat: scituri, quod si neglexerint, etiam litem 46 suam facere intelligantur. — Dat. kal. septemb. Constantinop. post consulatum LAMPADII et ORESTIS VV. CC. 531.

30. Idem, A. Johanni P. P.

De questione tali a Casariensi advocacione interrogati sumus: duabus vel pluribus personis spes aliene hereditatis fuerat ex cognatione forte ad eos devolvenda: pactaque inter eos iniita sunt pro adventura 47 hereditate; quibus specialiter declarabatur, si ille mortuus fuerit, et hereditas ad eos pervenerit, certos modos in eadem hereditate observari: vel, si forte ad quosdam ex his hereditatis commodum pervenerit, certas pactiones evenire. Et dubitabatur, si hujusmodi pacta servari oporteret. Faciebat autem eis questionem, quia adhuc superstiti eo, de cujus hereditate sperabatur, hujusmodi pacti processit: et quia non sunt ita confecta, quasi omnimodo hereditate ad eos perventura, sed sub duabus conditionibus composita sunt, si ille mortuus fuerit, et si ad hereditatem vocentur hi qui hujusmodi pactionem fecerunt. Sed nobis omnes hujusmodi pactiones odiosæ esse videntur, et plene tristissimi et periculosi eventus: quare enim, quodam vivente et ignorante de rebus ejus quidam paciscentes conveniunt? Secundum veteres itaque regulas sancimus, omnimodo hujusmodi pacta, quæ contra bonos mores 48 iniita sunt, repelli, et nihil ex his pactionibus observari: nisi ipse forte, de cujus hereditate pactum est, voluntatem suam eis accommodaverit 49, et in ea usque ad extremum vite suæ spatium perseveraverit 50: tunc etenim sublata acerbissima spe, licebit eis illo sciente et jubente hujusmodi pactiones servare: quod etiam anterioribus (legibus et) constitutionibus non est incognitum, licet a nobis clarius est introductum. Jubemus etenim, neque donationes talium rerum, neque hypothecas penitus esse admittendas, neque alium quemquam contractum: cum in alienis rebus contra

ere. — 30. L. 45. D. h. t. — 31. Adde L. 10. D. de transact. — 32. L. 38. pr. et 2. D. h. t. — 33. Fide tamen L. 56. § 4. D. de furtis. — 34. Adde L. 4. infr. si alien. res pignori: l. 50. D. h. t. l. 22. D. de solut. — 35. L. 59. D. de usucap. — 36. L. 1. infr. si certum peti. — 37. Confer. L. 13. supr. h. t. — 38. L. 7. infr. de usuris: l. 51. D. de oper. libert. adde tamen L. 6. D. de usuris. — 39. L. 6. infr. de jurisdict. — 40. L. ult. infr. de t. — 41. L. 51. supr. de episcop. et cler. — 42. L. 15. D. de jurisdict. — 43. L. 7. § 7. D. h. t. — 44. L. 6. supr. eod. — 45. Adde L. 51. L. 46. D. eod.: l. 4. § 4. D. si quis cautionib.: l. 41. D. de minorib.: 46. L. ult. D. de extraord. cogn. — 47. L. 2. § 2. D. de vulg. et pupill. substit. — 48. L. 6. supr. h. t. — 49. L. 46. D. de hered. inst. — 50. L. 15. supr. h. t.

domini voluntatem aliquid fieri, vel pacisci, secta temporum nostrorum non patitur. — Dat. kal. novemb. Constantinop. post consulatum LAMPADII et ORESTIS VV. CC. 531.

TIT. IV.

DE TRANSACTIONIBUS 1.

1. Imp. ANTONINUS A. Celerio.

Neque pactio, neque transactio cum quibusdam ex curatoribus 2 sine tutoribus facta, auxilio cæteris est in his, quæ separatim communiterve gesserunt, vel gerere debuerunt. Cum igitur tres curatores habueris, et cum duobus ex his transegeris: tertium convenire non prohiberis. — Dat. kal. Maji, GENTIANO et BASSO CONSS. 212.

2. Idem, A. Luctatio.

Cum te proponas cum sorore tua de hereditate transegeris, et ideo certam pecuniam ei te debere cavisse: etsi nulla fuisset questio hereditatis, tamen propter timorem litis 3 transactione interposita, pecunia recte cautâ intelligitur: ex qua causa si fisco solvisses, repetere 4 non posses: et si non solvisses, tamen jure convenieris. — P. P. 3 id. Aug. ANTONINO A. 4 et BALBINO CONSS. 214.

3. Imp. ALEXAND. A. Tullia.

Age cum Geminiano, quod pater ejus curator tibi datus negotia tua gesserit: et si apud iudicem negabit se hac actione teneri, quoniam transactio et Aquiliana 5 stipulatio interposita est: iudex contemplatione iudicii quod bonæ fidei 6 est, quaeret, de quanta pecunia nominatim transactum sit: et, si apparuerit de minore transactum 7, quantum pecuniam reliquam ex administratione curæ deberi probatum fuerit, solvere eum jubebit, quod non in stipulationem Aquilianam obligationis jure tantum deductum est, quarta erat quantitas pecuniæ quæ debebatur. — Dat. prid. id. August. MAXIMO 2 et ÆLIANO CONSS. 224.

4. Idem, A. Numidio.

Actione administratæ curæ ab eo, qui legitimæ ætatis annos complevit, in Aquilianam stipulationem deducta, et per acceptilationem extincta, nullam aliam 8 superesse, nisi de dolo intra concessa tempora 9, non ambigitur: nisi specialiter etiam de dolo transactum sit. — P. P. 2 non. Martii, ALEXANDRO A. 2 et MARCELLO CONSS. 227.

5. Idem, A. Evocato.

Cum te transegeris cum herede quondam tutoris tui profitearis, si id post legitimam ætatem fecisti, frustra desideras, ut a placitis recedatur: licet enim (ut proponis) nullum instrumentum 10 intercesserit, tamen si de fide contractus confessione tua constet: scriptura quæ probationem rei gestæ continere solet, necessaria non est. — P. P. kal. Mart. ALBINO et ÆMILIANO CONSS.

6. Idem, A. Pomponio.

Cum mota inofficiosa querela matrem vestram cum diversa parte transegeris, ita, ut parvem bonorum susciperet, et a lite discederet, proponas: instaurari quidem semel omissam querelam per vos, qui matri heredes existitis, juris ratio non sinit: verum, si fides placitis præstita non est, in id quod interest, diversam partem recte convenietis: aut enim stipulatio conventio subdita est, et ex stipulatu actio competit: aut, si omnia verborum obligatio est, utilis actio, quæ præscriptis verbis rem gestam demonstrat, danda est. — P. P. 8 id. Jan. AGRICOLA et CLEMENTE CONSS. 231.

7. Imp. GORD. A. Junio militi.

Transactionis placitum ab eo interpositum, cui causæ actionem, non decisionem litis mandasti, nihil petitioni tuæ 11 derogavit. — P. P. 14 kal. Jan. GORDIANO A. et ANIVLA CONSS. 240.

8. Idem, A. Licinio.

De alimentis præteritis, si questio deferatur, transigi potest: de futuris autem sine prætoris 12, seu præside interposita transactio nulla auctoritate juris censetur. — P. P. 10 kalend. Jan. PLO et PONTIANO CONSS. 239.

9. Idem, A. Agrippino.

Si super possessione, quæ tibi quaesita est, cum questionem pateris

TIT. IV. — 1. Lib. 2. D. 15. — 2. L. 15. D. de tut. et rat. distrah. adde L. ult. § 3. D. de liber. legat. — 3. L. 65. § 1. D. de condic. indeb. — 4. L. 23. infr. h. t. — 5. L. 4. D. eod. — 6. § 28. Inst. de action. l. 7. D. de neg. gest. — 7. Obst. L. 5. L. 9. § 1. D. h. t. adde L. 4. infr. eod. — 8. L. 36. D. de verb. oblig. — 9. L. ult. infr. de dolo. — 10. L. 17. supr. de pact. — 11. L. 3. pr. D. d. t. — 12. L. 7. § 2. l. 8. D. h. t. — 13. L. 1. D. uti possidetis.

a fratre uxoris tuæ, pactum conventum, et stipulatio inter vos (ut allegas) interposita est, ut, si intra diem certum idem adversarius tuus decem aureos tibi numerasset, possessione ei cederes: vel, si eam inferre quantitatem non curasset, ulterius questionem non patereris: et is, qui ita spondit, promisso satis non fecit: consequens est, te, ad quem res pertinet, vim ab eo pati non debere: cujus rei gratia, vir clarissimus præses provinciæ interpellatus 13, vim [fieri] prohibebit: præcipue cum, etiam si in rem diversâ parti actio competeret, hujusmodi pactione propter utilem exceptionem posset submoveri. — P. P. 6 id. april. GORDIANO Aug. 2 et POMPEIANO CONSS. 242.

10. Imp. PHILIPPUS A. Apollonia.

Fratris tui filius de paterna successione, ac statu etiam nunc contra fidem sanguinis, itemque placitorum, questionem inferre parum probe postulas: nullas etenim erit litium 14 finis, si a transactionibus bona fide interpositis cõperit facile discedi. — P. P. prid. kal. apr. PEREGRINO et ÆMILIANO CONSS. 243.

11. Imp. VALERIANUS [GALLIENUS] AA. et VALERIANUS nobilis Cæsar Cajano militi.

De fideicommissio a patre inter te, et fratrem tuum vicissim dato, si alter vestrum sine liberis excesserit via, interposita transactio rata 15 est: cum fratrum concordia remoto captandæ mortis alterius voto improbabili retinetur: et non potest eo casu rescindi, tanquam circumventus sis: cum pacto tali consenseris: neque eam, cui subveniri solet, ætatem agere te proponas: nec, si ageres, iisdem illis de causis in integrum restitutionis auxilium impetrare deberes. — P. P. 13 kal. dec. VALERIANO et GALLIENO AA. utrisque 2 CONSS. 256.

12. Idem, AA. Primo.

Præses provinciæ examinet, utrum de dubia 16 lite transactio inter te et civitatis tuæ administratores facta sit: an ambitiose 17 id, quod indubitate deberi posset, remissum sit: nam priore casu ratam manere transactionem jubebit: posteriore vero casu, nocere civitati gratiam non sinit. — P. P. 16 kal. Mart. ÆMILIANO et BASSO CONSS. 260.

13. Imp. DIOCLET. et MAXIMIAN. AA. Probæ.

Interpositas metus 18 causa transactiones, ratas non haberi edicto perpetuo continetur. Nec tamen quilibet metus ad rescindendum ea, quæ consensu terminata sunt, sufficit: sed talem metum probari oportet, qui salutis periculum 19, vel corporis cruciatum contineat. Ad vim tamen, vel dolum arguendum qualitas 20 causæ principalis non sufficit: unde, si nihil tale probari potest, consensu quæstiones terminatas minime instaurari oportet. Sed quoniam eum, cum quo te transegeris commemoras, ex ancilla [tua] natum, servum tuum esse adseveras: si vera sunt quæ precibus complexus es, alia ratio pactum reformat: nec enim dubii juris est, dominos cum servis suis paciscentes 21, ex placitis teneri atque obligari non posse. — S. 4 non. april. Byzantii, IPSIS 4 et 3 AA. CONSS. 290.

14. Idem, AA. Sopatræ.

Si diversa pars contra placitum agere nititur, æquitatis ratio suadet, refusa pecunia (cum et tu hoc desideras) causam ex integro agi. — P. P. 4 non. Jul. IPSIS 4 et 3 AA. CONSS. 290.

15. Idem, AA. Pontio.

Ut responsum congruens accipere possis, inserte pacti exemplum: ita enim intelligemus, utrum sola conventio fuerit, an etiam Aquiliana stipulatio 22, nec non et acceptilatio secuta fuerit: quæ si subdita esse illuxerit, nullam adversariæ tuæ petitionem hereditatis, vel in rem speciallem competere palam est. — P. P. 13 kalend. Aug. IPSIS 4 et 3 AA. CONSS. 290.

16. Idem, AA. et CC. Cælio.

Causas vel lites transactionibus legitimis finitas, imperiali rescripto resuscitari non 23 oportet. — S. V. id. Mart. IPSIS 3 et 4 AA. CONSS. 293.

17. Idem, AA. et CC. Marcello.

Cum proponas ab ea, contra quam supplicas, litem, quam tecum habuit, transactione decimam: eamque 24 acceptis his, quæ negotii dirimendi causa placuerat dari, nunc de conventionem resiliisse: ac petas, vel pacto stari, vel data restitui: perspicis, siquidem de his reddendis manente transactionis placito, statim stipulatione, si contra fecerit, pro-

— 14. L. 16. infr. h. t. — 15. L. 16. supr. de pact. — 16. L. 1. D. h. t. — 17. L. 4. pr. D. de decret. ab ord. fac. — 18. L. 1. pr. D. quod me caus. — 19. L. 8. infr. de rescind. vend. — 20. Confer. L. 10. infr. de t. adde L. 6. infr. de his que vi. — 21. L. 36. infr. de libere caus. — 22. Vide enim L. 3. L. 5. infr. de acceptil.: L. 4. supr.: L. 32. infr. h. t. adde tamen L. 13. infr. eod. — 23. L. 43. infr. eod. — 24. L. 24. infr. eod. adde L. 14. supr. eod.

spexisti, et vigintiquaque annis major fuerit : quod exceptionem pacti, actionem²⁵ datorum habeas : quod si nihil tale convenit, exceptio tibi, non etiam eorum, quae dedisti, repetitio competit, parva securitate. — P. P. 5 id. Jun. ipsis AA. 5 et 4 Coxss. 295.

18. *Idem*, AA. et CC. Valenti.

Transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto²⁶ adulterio, prohibitum non²⁷ est : in aliis autem publicis criminibus, quae sanguinis poenam non ingerunt, transigere non licet, citra²⁸ falsi accusationem. — S. 3 kal. sept. AA. Coxss. 295.

19. *Idem*, AA. et CC. Irenæo.

Sub praetextu instrumenti post reperti²⁹ transactionem bona fide finitam rescindi, jura non patiuntur. Sane si per se, vel per alium substractis instrumentis, quibus veritas argui potuit, decisionem litis extorsisse probetur; siquidem actio superest, replicationis auxilio doli mali pacti exceptio removetur : si vero jam precepta est, intra constitutum tempus tantum actionem de dolo potes exercere. — Dat. 4 kal. octobr. *Sirmii*, AA. Coxss. 295.

20. *Idem*, AA. et CC. Antistiae.

Non minorem auctoritatem transactionum, quam rerum judicatarum esse, recta ratione placuit : si quidem, nihil ita fidei congruit humanae³⁰, quam ea quae placuerant, custodiri : nec enim ad rescindendum pactum sufficit, quod hoc secunda hora noctis intercessisse proponas : cum nulum tempus sanæ mentis majoris vigintiquaque annis consensum repudiet. — S. 4 kal. octobr. ipsis AA. Coxss. 295.

21. *Idem*, AA. et CC. Geminiano.

Cum ea, quae transactionis causa dari aut retineri³¹ convenit, velut emptorem eum, quem accipere placuerat, obtinere praescribitur : his, quae simulate³² geruntur, pro infectis habitis, frustra ficti pretii postulatur numeratio. — S. 8 non. octobr. ipsis AA. Coxss. 295.

22. *Idem*, AA. et CC. Alexandro.

Si major transegisti, ad rescindendam transactionem de dolo contestatio non sufficit. — S. kalend. decemb. ipsis AA. Coxss. 295.

23. *Idem*, AA. et CC. Tatiano.

Nec intentio creditorum Archimedorum, cui alios successisse profiteris, si obligatus pro eo non fuisti, tenere te potest : sed hoc integro negotio tractari convenerat : nam cum jam questionem transactione decisam, et a te dari placitam, numeratam pecuniam proponas : hujus indebiti soluti praetextu, improbe tibi petitionem decerni postulas : cum etsi tantum in stipulationem fuisset deducta, indebiti promissi velamento defendi non posses. — Dat. 8 idus Mart. CC. Coxss. 294.

24. *Idem*, AA. et CC. Victorino.

Si quidem ex causa transactionis acceptis [his], quae instrumento continentur, nihil amplius peti, convenit, adversariam tuam exceptionis auxilio defendi perspicias. Sin vero certam quantitatem, quasi solam ab ea debitam, reddere se debere : sine litis decisione confessus est : tam eam, quam residuam debiti partem petere minime prohiberis. — S. 5 non. april. *Sirmii*, CC. Coxss. 294.

25. *Idem*, AA. et CC. Marcellae et Quirille.

Si majores vigintiquaque annis cum patruo sive avunculo vestro transegisti, vel ei debita donationis causa sine aliqua conditione³³ remisistis : non idcirco, quod hoc ejus hereditatis captandae causa, id est, spe future successionis, vos fecisse proponatis, aliis ei succedentibus instaurari finita debent. — S. 2 id. april. CC. Coxss. 294.

26. *Idem*, AA. et CC. Dionysiadæ.

Transactione matris, filios ejus non posse servos fieri³⁴, notissimi juris est. — S. id. apr. CC. Coxss. 294.

27. *Idem*, AA. et CC. Catoni.

Sanum mente³⁵, licet ægrum corpore, recte transigere, manifestum est : nec postulare debueras improbo desiderio, placita rescindi valetudinis corporis adversæ velamento. — S. 7 idus Maji, CC. Coxss. 294.

28. *Idem*, AA. et CC. Sappariæ.

Sive apud acta rectoris provinciae, sive sine actis scriptura intercedente

25. L. 25, pr. D. de condit. indeb. — 26. *Immo vide* N. 154, c. 10; *adde* L. 10, infr. ad leg. Jul. de adult. — 27. L. 1, D. de bon. eor. qui ante sentent. — 28. L. 7, infr. ad leg. Corn. de falsis. — 29. L. 29, infr. h. t. : L. 78, in fin. D. ad Sc. Treb. *adde* tamen L. 3, § 1. D. h. t. : L. 36, D. de re judic. : L. 31, D. de jurejur. — 30. L. 1, D. de pact. — 31. *Vide* enim L. 38, infr. h. t. — 32. L. 55, D. de contrah. empt. : L. 54, D. de oblig. et act. infr. plus valere quod agitur. — 33. *Adde* L. 22, infr. de donat. inter vir. et ux. — 34. L. 10, infr. de liber. caus. — 35. L. 3, infr. qui testam. : L. 2, L. 17, D. eod. *adde* L. 1, § 2, D. de adl. edict. — 36. L. 5, supr. k. t. : L. 17, supr. de pact. — 37. *Adde* L. 21, supr. d. t. do pact. : L. 55, infr. h. t. —

vel non³⁶, transactio interposita est : hanc servari convenit. Sed quoniam, ut certum quid accipias, convenisse te, licet sine scriptura, proponis, nec hujus rei causa stipulationem secutam esse : quamvis ex pacto non potuit nasci actio, tamen rerum vindicatione³⁷ pendente, si exceptio pacti opposita fuerit, doli mali vel in factum replicatione usa, poteris ad obsequium placitorum adversarium tuum urgere. — Dat. 3 non. Jul. CC. Coxss. 294.

29. *Idem*, AA. et CC. Martie.

Sub praetextu specierum post repertarum³⁸ : generali transactione finita, rescindi prohibent jura. Error autem circa proprietatem³⁹ rei apud alium extra personas transigentium tempore transactionis constitutæ, nihil potest nocere. — S. 4 kal. octobr. CC. Coxss. 294.

30. *Idem*, AA. et CC. Antonino.

Transactione finita : cum ex partibus tuis⁴⁰ magis dolum intercessisse, quam eorum contra quos preces fundis, confitearis, instaurari grave, nec non criminiosum tibi est. — S. 5 idus octobr. *Crebro*, CC. Coxss.

31. *Idem*, AA. et CC. Proculo.

Si de certa re pacto transactionis interposito hoc comprehensum erat⁴¹, nihil amplius peti : etsi non additum fuerat, eo nomine, de cæteris tamen questionibus integra permaneat actio. — P. P. 4 idus octobris, *Byzantii*, CC. Coxss. 294.

32. *Idem*, AA. et CC. Cyrillo.

Si causa cognita prolata sententia, sicut jure traditum est, appellatio nisi vel in integrum restitutionis solemnitate suspensa non est, super judicato⁴² frustra transigi, non est opinionis incerte : proinde si non Aquiliana⁴³ stipulatione et acceptilatione subsequuta competentem tibi actionem permistis, praeses provinciae usitato more legum rebus pridem judicatis effectum adhibere curabit. — S. 8 kal. novemb. CC. Coxss. 294.

33. *Idem*, AA. et CC. Euchrusio.

Si pro fundo quem petebas, praedium certis finibus liberum⁴⁴ dari transactionis causa placuit, nec eo tempore minor annis vigintiquaque fuisti, licet hoc praedium obligatum post, vel alienum pro parte fuerit probatum : instaurari decisam litem prohibent jura. Ex stipulatione⁴⁵ sane, si placita servari, secuta est : vel, si non intercesserit, praescriptis verbis actione civili subdita, apud rectorem provinciae agere potes. Si tamen res ipsas apud te constitutas, ob quarum questionem litis intercessit decisio, fiscus vel alius a te vindicavit : nihil petere potes. — S. 5 id. novemb. *Melantiadæ*, CC. Coxss. 294.

34. *Idem*, AA. et CC. Cyrillo et Ptolomaidi.

Cum donationis, seu transactionis causa administratæ tutelæ debiti scientes vos obligationem fratri vestro remisisse proponatis, nec unquam⁴⁶ volentibus dolum inferatur : frustra de dolo querimini : nec ad implendum promissum hereditatis⁴⁷ propriae pollicitatione quisquam adstringitur. — P. P. 6 idus novemb. CC. Coxss. 294.

35. *Idem*, AA. et CC. Hammoni.

Transactionem, quæ dominii translatione vel actione peracta seu perempta, finem accepit : cum ea amicis etiam intervenientibus re vera ostenditur processisse, metus velamento rescindi postulantis professio degegit improbitatem. — S. 9 kal. decemb. *Nicomediæ*, CC. Coxss. 294.

36. *Idem*, AA. et CC. Achille.

Si major annis vigintiquaque transegisti, quamvis dari tibi placita representata necdum probentur : nec offerant hi qui conveniuntur, ne quid amplius ab his exigi possit, exceptionis proficit æquitas. — S. 6 id. decemb. CC. Coxss. 294.

37. *Idem*, AA. et CC. Basilicæ.

Promissis transactionis causa non impletis, penam⁴⁸ in stipulationem deductam, si contra factum fuerit, exigi posse constat. — S. 12 kal. Jan. *Nicomediæ*, CC. Coxss. 294.

38. *Idem*, AA. et CC. Theodotio.

Transactio nullo dato, vel retento⁴⁹, seu promisso minime procedit. — S. 8 kalend. Januar. *Nicomediæ*, CC. Coxss. 294.

39. *Idem*, AA. et CC. Martiane.

Quamvis eum, qui pactus est, statim⁵⁰ perniteat, transactio [tamen]

38. L. 19, supr. eod. — 39. L. 18, infr. de rei vindic. — 40. *Adde* L. 2, § 5, D. ad Sc. Vellej. : L. 4, infr. de revoc. donat. — 41. L. 24, supr. h. t. — 42. L. 7, L. 11, D. eod. : L. 23, § 1, D. de condit. indeb. — 43. L. 3, supr. h. t. — 44. *Adde* L. 10, D. de condit. indeb. — 45. L. 25, supr. h. t. — 46. L. 3, § 5, D. de hom. libero : L. 145, D. de R. J. — 47. L. ult. supr. de pact. : L. 25, supr. h. t. : L. 51, D. de verb. oblig. — 48. L. 40, infr. h. t. confer. L. 7, supr. eod. : L. 6, infr. de contrah. stipul. — 49. L. 21, supr. h. t. — 50. L. 5, infr. de oblig. et act. : L. 12, in fin. infr. de contrah. empt. *adde* L. 5, infr. de rescind. vend.

rescindi, et lis instaurari non potest : et qui tibi suavit, intra certum tempus licere a transactione recedere, falsum adseveravit. — S. kal. Jan. *Sirmii*, CC. Coxss. 294.

40. *Impp.* GRATIAN., VALENT. et THEOD. AAA. Eutropio P. P.

Ubi pactum vel transactio scripta est, atque Aquilianæ stipulationis, et acceptilationis vinculis firmitas juris innexa est : aut subsequitis secundum leges accommodandus est consensus, aut poena⁵¹ una cum his, quae data⁵² probantur, ante cognitionem causæ (si adversarius hoc maluerit) inferenda est. — Dat. 3 non. Jun. *Constantinop.* EUCHERIO et SYAGRIO COXSS. 381.

41. *Impp.* ARCAD. et HONOR. AA. Rufino P. P.

Si quis major annis [vigintiquaque] adversus pacta vel transactiones nullo cogente imperio, sed libero arbitrio, et voluntate confectas putaverit esse veniendum, vel interpellando judicem, vel supplicando principibus, vel non implendo promissa : eas autem, invocato Dei omnipotentis nomine, eo auctore solidaverit : non solum notetur infamia, verumetiam actione privatus, restituta poena⁵³, quæ pactis probatur inserta, et rerum proprietate careat, et emolumento, quod ex pactione vel transactione illa fuerit consecutus : itaque omnia eorum mox commodo deputabuntur, qui interemerat pacti jura servaverint. Eos etiam hujus legis vel jactura dignos esse jubemus, vel munere, qui nomina nostra placitis inserentes, salutem⁵⁴ principum, confirmationem initarum juraverint esse pactionum. — Dat. 5 idus octobr. *Constantinop.* OLYBRIO et PROBINO COXSS. 395.

42. *Impp.* LEO et ANTHEM. AA. Acrochirio P. P.

Si ex falsis⁵⁵ instrumentis transactiones vel pactiones initæ fuerint, quamvis jurjurandum⁵⁶ [de] his interpositum sit, etiam civiliter falso revelato, eas retractari præcipimus : ita demum, ut, si de pluribus causis vel capitulis eadem pactiones seu transactiones initæ fuerint, illa tantummodo causa vel pars retractetur, quæ [ex] falso instrumento composito convicta fuerit : aliis capitulis firmis maentibus : nisi forte etiam de eo, quod falsum dicitur, controversia orta decisâ sospiter. — Dat. kalend. Jul. *Constantinopoli*, MARTIANO et ZENOSE COXSS. 469.

43. *Imp.* ANASTASIOS A. Tomæ PF. P. per Illyricum.

Jubemus in omnibus litigiis jam motis et pendentibus, seu postea super servili vel adscriptitia conditione movendis, transactiones celebrandas, vel jam celebratas (si non alio jure cognito modo eas vacillare contigerit) vires suas obtinere : nec ob hoc videri tenorem earum titubare, quod pro conditione servili vel adscriptitia confectæ sunt. — Dat. 15 kalend. decemb. PATRICIO et HYPATIO COXSS. 501.

TIT. V.

DE ERRORE CALCULI 1.

1. *Impp.* DIOCL. et MAXIM. AA. et CC. Aureliano Quarto.

Errorem calculi, sive ex uno contracta, sive ex pluribus emerit, veritati non afferre præjudicium, sæpe constitutum est : unde rationes etiam sæpe computatas denuo tractari posse, si res judicata² non sunt, vel transactio non intervenit, explorati juris est. Sed et si per errorem calculi velut debitam quantitatem, cum esset indebita, promissis, condictio liberationis tibi competit. — Dat. 6 kal. Mart. AA. Coxss. 287.

TIT. VI.

DE POSTULANDO 1.

1. *Imp.* ANTONINUS A. Artemidoro.

Cum a prefecto³ Ægypti perpetuo causas agere prohibitus non appellaveris⁴, placitis obtempera. — P. P. 3 kalend. Aug. SABINO 2 et ANULINO COXSS. 217.

2. *Imp.* ALEXANDER A. Polydoro.

Nec cæterorum liberti⁵, necdum mei quidem, si ita sunt literis eru-

51. L. 37, supr. : L. 41, infr. : L. 16, D. h. t. — 52. L. 14, supr. : L. 41, infr. eod. : L. 25, § 3, D. de condit. indeb. — 53. L. 40, supr. h. t. — 54. *Immo vide* L. 2, infr. de reb. cred. — 55. *Infr.* si ex falsis instrum. — 56. *Adde* L. ult. infr. de non numer. pec. : L. 5, in fin. supr. de legib. N. 51, c. 1.

ditii⁶, ut patrocinia desiderantibus præstare possint, prohibentur id facere. — P. P. non. Mart. JULIANO 2 et CRISPINO COXSS. 228.

3. *Imp.* GORDIANUS A. Flaviano.

Si sub specie honorarii, quod advocato usque ad certum⁷ modum deberi potuisset, eam quantitatem, quam desiderio tuo complecteris, te daturum cavisti : et quasi mutuum pecuniam accepisses, eam te redditurum promissisti, nec temporis spatio, gesto negotio consensum ac fidem accommodasti : competenti exceptione non numeratæ pecuniæ tutus es, et ex hac causa cautionem interpositam, usitato more potes condicere. — P. P. 5 id. Jun. SABINO 2 et VENUSTO COXSS. 241.

4. *Impp.* DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Theodotio.

Velamento absents⁷ patroni causæ rursus ad finitas questiones redire quis frustra conatur. — S. 4 kal. Januar. *Nicomediæ*, CC. Coxss. 294.

5. *Imp.* CONSTANT. A. Helladio.

Si qui advocatorum existimationi suæ immensa atque illicita compendia prætulisse sub nomine honorariorum ex ipsis negotiis, quæ tuenda susceperint, emolumenta sibi certæ⁸ partis cum gravi damno litigatoris et deprædatione poscentes fuerint inventi : placuit ut omnes, qui in hujusmodi sævitate permanserint, ab hac professione penitus arceantur. — Dat. 3 kal. april. PAULINO et JULIANO COXSS. 325.

6. *Impp.* VALENT. et VALENS AA. ad Olybrium præf. urb.

Quisquis vult esse caudicus, non idem in eodem⁹ negotio sit advocatus et judex : quoniam aliquem inter arbitros et patronos oportet esse delectum. — § 1. Ante omnia autem universi advocati ita prebeant patrocinia jurgantibus : ut non ultra quam litum poscit utilitas, in licentiam conviciandi, et maledicendi temeritatem prorumpant : agant, quod causa desiderat : temperent se ab injuria. Nam si quis adeo proccax fuerit, ut non ratione sed probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem patietur, nec enim conniventia commodanda est, ut quisquam negotio derelicto in adversarii sui contumeliam aut palam pergat, aut subdole. — § 2. Præterea nullum cum eo litigatore contractum, quem in propria recipit fidem, ineat advocatus : nullam conferat pactionem. — § 3. Nemo ex his, quos licet accipere¹⁰, vel decebit, aspersionem habeat, quod sibi semel officii gratia libero arbitrio obtulerit litigatore. — § 4. Nemo ex industria probat¹¹ jurgium. — § 5. Aude urbem autem Romanam etiam honoratis, qui hoc officium putaverint eligendum, eo usque liceat orare, quousque maluerint, videlicet ut non ad turpe compendium stipemque deformem hæc arripatur occasio, sed laudis per eam augmenta quaerantur. Nam si lucro pecuniæque capiantur : veluti abjecti atque degeneres inter vilissimos numerabuntur. — § 6. Quisquis igitur ex his, quos agere permisimus, vult esse caudicus : eam solam quam sumet tempore agendi, sibi sciat esse personam quousque caudicus est : nec putet quisquam honori suo aliquid esse detractum cum ipse necessitatem elegerit¹² standi, et contempserit jus sendi¹³. — P. P. 10 kalend. septemb. VALENTINIANO et VALENTE AA. 2 COXSS. 568.

7. *Idem*, et GRATIANUS AAA. ad Olybrium præf. urbi.

Providendum est, ne hi quos in foro aut meritum nobilissimos fecerit, aut vetustas, in una parte constant, aliam a rudibus atque tyronibus necesse sit sustineri : atque ideo si in uno auditorio duo tantum præcæteris fuerint, vel plures, quorum fama sit hilarior : in judicantis officio sit, ut par caudicorum distributio¹⁴ fiat : et exequatur partibus auxilium singulorum : et aqua divisio procedat. Si quis vero¹⁵ monitus a iudice, ea excusatione, quæ nequeat comprobari, cuicumque parti patrocinium denegaverit, careat¹⁶ foro : sciat etiam nunquam sibi ad agendum copiam posse restitui. Si quis autem ex litigatoribus detectus fuerit separatim tractasse cum plurimis, et adversario suo tali fraude subtraxisse paris defensionis copiam : ostendet proculdubio iniquam a se litem foveri, et auctoritatem judicariam a se delusam experietur. — Dat. kal. Mart. *Treveris*, VALENTINIANO et VALENTE AA. utrisque 3 COXSS. 570.

8. *Impp.* LEO et ANTHEMIUS AA. Nicostrato P. P.

Nemo¹⁷ vel in foro magnitudinis tuæ, vel in provinciali iudicio, vel apud quemquam judicem accedat ad togatorum consortium, nisi sacrosanctis catholicæ religionis fuerit imbutus mysteriis. Sin autem aliquid

traord. cogn. — 7. *Arg.* L. 6, infr. de revoc. donat. *adde* L. 1, infr. de repud. bon. posses. *vide* tamen L. 7, D. de jure fieri. — 8. L. 55, D. de pact. : L. 1, § 12, D. de extraord. cogn. : L. 20, infr. mandati. *adde* L. 6, § fin. : L. 7, D. eod. : L. 9, § 5, D. de off. procons. : L. 18, infr. de procur. — 9. L. 14, supr. de assess. : L. 5, D. de off. assess. : L. 17, D. de jurisd. — 10. *Vide* enim § 5, infr. h. t. : L. 15, infr. de procur. — 11. L. 25, § 9, infr. de judic. — 12. N. 71, c. 1. — 13. *Vide* enim L. 1, supr. de off. divers. iud. : L. ult. supr. de off. divers. iud. — 14. *Adde* L. 1, § 4, D. h. t. : L. 9, § 5, D. de off. procons. — 15. *Immo vide* L. 156, pr. D. de reg. jur. : L. 17, infr. : L. 8, § 1, D. de procurat. *adde* N. 17, c. 35. — 16. L. 9, D. de pæn. — 17. L. 15, supr. de episcop. aud. : L. 9, infr. de divers. off. : N. 144, c. 2.